

occidere fame et frigore, scilicet manducando escas, et bibendo vestes pauperum. Curnam id agunt? Quoniam amplius sunt mundi amici quam Dei, magis amant arva quam sidera, potius diligunt equos canesque suos, quam sanguine Christi pauperes emptos.

Hujusmodi plane prædones et rapaces propria sponte destruunt Christianitatem et deserunt, contemnentes habitare divini imperatoris civitatem, et propterea minus fiunt cives et domestici Dei, sed diaboli et titiones inferni. Itaque, o Ecclesia Dei! o civitas Dei, patienter hos fer lupos, devorantes vos Christi agnos. Siquidem hoc malum quod vobis æstimant nostri facere adversarii, multo magis sibi illud ingerunt. Nemo enim alteri prius quam sibi nocere potest. De quibus lupis compatiens vobis, sic inquit Dominus per Prophetam: « Omnes qui operantur

A iniquitatem, sic devorant plebem, ut cibum panis (Psal. LI, 5). » Unde et pius idem pastor noster Christus Dominus benigna consolatione nos confortat dicens: « Noli metuere, pusillus grex, quia complacuit Patri nostro dare vobis regnum (Luc. XII, 32). » Ergo, fratres, unanimiter simus patientes ad omnes tam hospites quam hostes. Nam vir habens patientiam omnia superare vitia potest facile, agia teste Scriptura. Sic revera civitatem Dei quæ est in nobis, hoc est Christianitatem cruore nostri Redemptoris fundatam valebimus omni tempore excolere, sacrisque excubiis custodire, piisque moribus ornare, auxiliante nobis eodem Domino nostro Jesu Christo, qui est principium et finis omnium, cum Patre et Spiritu sancto regnans per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI DCCCCXXIII

DADO EPISCOPUS VIRDUNENSIS

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana, tom XIV vet. edit.)

Nepos discipulusque Berhardi Dado, dictus in vita Joannis Gorziæ abbatis, cui fuit familiaris, vir summi ingenii et famosissimæ sanctitatis, abbas et ipse sancti Vitoni, episcopali dignitate insignitus est Ludovici Germaniæ regis favore anno 881. Cujus electionem Bertolfus Trevirensis archipræsul, etsi litteris Joannis papæ VIII rogatus, ut probaret non potuit adduci. Verumtamen Dado absque ejus consensu ordinatus fuit, summaque prudentia diu administravit tum abbatiam sancti Vitoni, quam retinuerat, tum Virdunensem ecclesiam, cui amplissimas comparavit possessiones. Cum Ratbodo archiepiscopo Trevirensi et aliis episcopis provincialibus astitit conciliis Moguntino et Metensi anno 888. Tradit Wasburgius ab ipso conditum fuisse poema elegiacis versibus, lapsus temporis deletum, suo atque decessorum suorum tempore de illatis Virdunensi ecclesiæ calamitatibus, et præsertim in irruptione a Nortmannis in Lotharingiam facta anno 889, qua crematæ sunt civitates Tullensis et Virdunensis; plurimi etiam presbyteri ac clerici tam majoris ædis quam sancti Vitoni trucidati. Idem esse videtur cum Dadone Virdunensi episcopo, cui Remigius monachus Antissiodorensis epistolam scripsit circa annum 890. Alia quidem est ad eum epistola Salomonis episcopi Constantiensis. Attonis et Berhardi antecessorum epitomen Vitæ composuit anno 893, in qua collata ab illis ecclesiæ bona, et abbatiam Montis Falconis, ex dono Harnulphi reus perpetuo habendam recenset. Partitionem bonorum Virdunensis ecclesiæ inter se et capitulum fe-

A citparendi gratia canoni decimo tertio concilii Triburensis cui adfuerat anno 895. Rasbodo Trevirensi direxit epistolam postulans ut Arduinum presbyterum ecclesiæ Virdunensis in parochiam seu diocesim Trevirensismitteret, anno 906. Diplomati Caroli Simplicis abbatiam Suestrensem Prumiensi monasterio adjudicantis subscripsit anno 916, 19 Januarii. Ob studium in Germaniæ reges fuit exosus eidem regi Carolo atque Bosoni Guntranno, qui Zuenteboldi regis cædem ei imputabat. Nec multo post idem Boso, contractis copiis, terras episcopatus vastare cœpit, stragem ubique deferens. Tantum ab hostibus Dado ut se præstaret, milites Virdunum accivit: sed obstare nequivit quominus cathedralis maximeque pars oppidi insidiosè exuretur ad annum 917. Quo incendio absumpta fuere Virdunensis ecclesiæ monumenta, libri et memoriæ episcoporum. Ne autem hæc penitus oblivioni traderentur, brevem historiam episcoporum contexit Bertarius presbyter Virdunensis, quam Dadoni nuncupavit an. 36 episcopatus. Cum Uerimno monacho S. Michaelis ad Mosam, quamdam permutacionem de duobus pratis in Rosiedicurve sitis iniit ad castellum sub die viii Kal. Decembris, anno 8, regnante Carolo rege in regno Lotharii, id est anno 919. Gauzelini Tullensis episcopi consecrationi astitisse dicitur anno 922: præsens quoque fuit circa idem tempus electioni Libonis episcopi Lausanensis, ex charta ubi vocatur Tato. Vivere desiit an. 923 ex Hugone Flaviniacensi et Flodoardo, humatusque est in basilica Sancti Vitoni.